millia capitum excesserunt, reparare nondum potuit. *b*)Sic Indis melior tyrannidis Hispanicæ vindicta vix restabat, qvam si à conjugiis abstinendo loca cultissima ad solitudinem redigerent. Idem vulnus Bohemiæ, Silesiæ aliisq; provinciis inflixit inqvisitio Pontificia, cui tamen Misnia, Lusatia & Vogtlandia in acceptis referant, qvod expulsis ibi orthodoxis, multitudinem subditorũ bello diuturno exhaustam, reficere ac resarcire potuerint.

a) Plin. lib. 7. epist, 31. *b*) Nicias ap. Thucyd. lib. 7. *c*) Scilurus ap. Plutarch. apophth. *d*) Ovid, epist. Heroid. 16. *e*) Bodin. lib. 4. de rep. cap. 1. *f*) Tacit. mor. Germ. cap. 41. *g*) Joh. de Laet. Hisp. p. 101 seq. *h*) Lans. Consult. Orat. 6. contr. Hisp. p. m. 433.

auctæ Viris *per asylum cap. 8.*

XV. Colligendi igitur viri, nec relinqvendæ mulieres; sine his enim *ætatem duratura magnitudo erat*; sine illis *robur deerat*. Hinc major virorum cura *aperto asylo*. Vetus asylorum est mos, & à Cadmo Thebis, à Theseo vero Athenis institutus, *a*) ut paucitati civium consuleretur, qvemadmodum etiam Romulus ad eundem finem respexit. Aſt repleta populis republica, cum in honorem Deorum remanerent asylorum sacra, refugium datum fuit innocentiæ, qvod non solum apud profanos, sed & apud Judæos, ipsius Dei jussu obtinuit. *b*) Successu autem temporis optima hæc consvetudo in pessimam degeneravit peccandi impudentiam. Tiberii enim tempore, *crescebat Græcas per urbes licentia atq; impunitas asyla statuendi: Complebantur templa, pessimis servitiorum: eodem subsidio obærati adversum creditores: suspectiq; capitalium criminum receptabantur.* Qvare modum asylorum ex antiqvitatis inspectione per senatum ponere jussit Tiberius *c*) Hodie asylorum privilegia referunt sanctuaria Pontificiorum *d*) & impunitas concessa apud Hispanos maleficis, si velint in Indiam aliaq; loca militatum abire. *e*)

a) Plutarch. in Theseo *b*) Num. 35. 6. Devter. 4. 41. Josuæ 20. 2. *c*) Tacit. Annal. lib. 3. cap. 60. *d*) Arnisæ. Select. Polit. lib. 1. cap. 3. sect 8. *e*) Zevecot. Rer. hisp. in Flor. h. l.

Mulieribus *per raptum cap. 9.*

XVI. Repleta erat viris Civitas, sed unde mulieres? asylum ipsis aperiri non poterat, ut falsè Romanos exteri irridebant, aliud igitur arripiendum consilium: Petebantur per Legatos exterarum connubia, qvæ *cum injuste negarentur, justè auferebantur*. *a*) Indignum enim videbatur id prohibere velle homini, ad qvod ipsius